



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia|| Ivridica,|| Sev Ivs Civile Theologicvm,||

Fickler, Johann Baptist

Dilingæ, 1575

VD16 F 976

Imperatorem circa pub. exactiones non immodicum, sed ad Prefectorum
siuè officialium suorum vitam & administrationem intuendam oculatu[m]
esse debere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63414)

Imperatoris
cogitatio cir-
ca pub. bonū
versari debet.

Communis reipublicę cura occupat Princē-
pem ad cogitandum pro republica & sub-
iectorum vtilitate.

IDEM IVSTINIAN. IN AVTH. VT IVD.
sine quoq; supra. &c. in proem. in prin. coll. 2.

Princeps pro
subditis vti-
liter vigilare
debet.

Princes non in vano debet vigilias ducere,
sed ita expendere sua consilia, vt subiecti
sub omni quiete consistant.

IDEM IN PRIN. AVTH. VT DIVI-
næ iussio. &c. collat. 4.

Principis la-
bor sit quies
publica.

Princes vltro laborare debet, vt quietem
subditis paret, &c.

FRIDERICVS PRIMVS, IMP. IN TIT.
de prohib. feud. alienat. in prin.

Principis cu-
ra pro regni
conseruatio-
ne.

Imperialem decet solertiā ita reipublicę cu-
ram gerere, & subiectorum incommoda in-
uestigare, vt regni vtilitas incorrupta persistat,
& singulorum status iugiter seruetur illæsus.

**IMPERATOREM
CIRCA PVB. EXACTIONES**
*non immodicum, sed ad Præfectorum, seu officia-
lium suorum vitam & administratio-
nem intuendam occulatum
esse debere.*

IVSTINIAN. IMP. IN FIN. AVTH.
De Prouinc. Præsid. coll. 10.

Princeps sub-
ditorū opu-
lentiam ma-
gis quā pro-
prijs redditus
curare debet.

Pluris à nobis fit subditorum opulentia &
medela, quā redditus, qui exindè inferun-
tur Imperio. Contrahimus enim vnā cum lar-
gitionibus Præsidum in arcum ipsa etiā suf-
fragia,

fragia, quæ imperialibus inferebantur ratio-
nibus, & magnum reddebant pecuniarû cum-
mulum: quo magis hæc causa, & respublica
meliore successu potiatur, & locupletior re-
deat, aliquot retrò temporibus à nonnullis ex
cogitatis præstationibus liberata. Vna enim
hæc res potentia nostræ studio est, vt provin-
cia & bonis gubernentur legibus, & tuto in-
habitentur, neq; non ex Prædicum iustitia fru-
ctum capiant, & tributa publica sine querela
inferantur: neq; enim aliter conseruare licet
republicam, nisi pientissimæ præstationes
importentur in publicum. ex quibus & mili-
tares nutriantur copia, & per agros ac Vrbes
agantur excubia, &c.

Imperatoris
boni studii
in quibus
consistat.

IDEM IVSTINIA. IN PRAEFAT. AVTH.
vt iud. sine quoq; iuffrag. fiant. coll. 2.

OMnes nobis dies ac noctes contingit cum
omni lucubratione, & cogitatione dege-
re, semper volentibus vt aliquid vtile & pia-
tens Deo à nobis collatoribus præbeatur: &
non in vano vigilias ducimus, sed in huius-
modi ea expendimus consilia, pernoctantes,
& noctibus sub æqualitate dierum vtentes, vt
nostri subiecti sub omni quiete consistant, so-
licitudine liberati: nobis in nosmetipsos pro
omnibus cogitationem suscipientibus. Per o-
mnem namq; curiositatem & inquisitionem
subtilem discurremus, illa agere quærentes,
quæ utilitatem nostris subiectis introducendo,
omni eos onere liberent, & omni damno ex-

Principem nõ
frustra vigila-
re debere, &
circa quæ so-
licitus esse de-
beat.

Subditos exactionibus non grauari debere.

trinfecus illato, citra publicum censum, & iustam legitimamque collationem. Inuenimus enim plurimam ingressam causis iniustitiam, & hanc non olim, sed ex quibusdam temporibus violenter accessisse, & omnes nostros subiectos ad inopiam compulisse, vt ad nouissimam ipsi penuriam deuenire stituerentur, & neque consueta & legitima tributa, & pro veritate pias functiones secundum publicum censum possint sine maxima necessitate persolvere. Quomodo enim valerent collatores, cum ex aliquo tempore Imperatores semper aliquid lucrari ex prouentu iudicum cogitarent, & merito hos sequerentur etiam prefecti: ex hac iniustitia & damnis extrinfecus illatis, solemnibus pijs collationibus sufficere? Cogitatio igitur nobis facta est, quod agentes omnia quaecunque in nostris Prouincijs sunt, vno actu communi ad meliora migraremus. Hoc enim omnino euenturum credimus, si praesides gentium quicumque ciuiles administrationes prouinciarum habent, puris procremus vti manibus, & ab omni abstinere acceptione pro illis, solis contentos eis, quae a fisco dantur, &c. Considerauimus enim, quia licet quaestus immodicus imminuitur imperio: attamen nostri subiecti incrementum maximum percipient, si indemnes a iudicibus conferentur: & Imperium & Fiscus abundabit vtens subiectis locupletibus, & vno hoc introducto ordine, plurima rerum & innumera

Iudicium avaritia restringenda.

Iudices suo salario contentos esse debere.

Reipub. interest subditos habere locupletes.

mera erit vbertas. An certè non omnibus ma-
 nifestum est, quoniam qui aurum dat, & ita
 administrationem emit, non dat hoc solum
 quantum occasione adiuventu est suffragio-
 rum, sed & aliud extrinsecus addit amplius
 occasione commodi administrationem aut
 dantibus aut spondentibus? *et paulò post.*
 Quapropter eius quod ab eo datum est, tri-
 plum, magis autem, si oportet verius dici, de-
 cuplum erit, quod à subiectis nostris exigitur,
 & ex hoc etiam fiscus imminuitur. Nam ea,
 quæ oportebat in fiscum inferri, eò quòd ad-
 ministrationem habet puris vrentem mani-
 bus, hoc ad propriam vtilitatem redigens, qui
 administrationem habet, & inopem faciens
 nobis collatorè, inopiam illius, quæ per ipsum
 agitur, nobis reputat, & quanta impiè talia
 sunt, ad horum fuitorum meritò relata occa-
 sionem. Administrationem namque habentes
 prouinciales, ad hanc acceptionem respicien-
 tes, multos quidem reorum dimittunt, ven-
 dentes eis delictum: plurimos autem innoxio-
 rum cõdemnant, vt noxijs præstent. Et hoc nõ
 solum in pecuniarijs causis agitur, sed & in
 criminalibus, vbi de anima est periculum. Fu-
 giunt æquè ex prouincijs, & confluunt huc
 (scilicet ad tribunal Imperatoris) omnes inge-
 niscientes, sacerdotes, & curiales, & officiales
 & possessores, & populi, & agricolæ, iudicium
 furta meritò & iniustitias accusantes. Et hæc
 non fiunt sola, sed & ciuitatum seditiones, &
 publica

Officia nõ ef-
 sã coemenda.

Iudices pub,
 pecuniã in
 suũ vti in cõ-
 uertente: fat-
 tum commit-
 tere.

Iudices ne
 vèdant de-
 licta.

Iudicũ fur-
 ta multi cõ-
 queruntur.

Iudicum ini- publica turbæ plerumq; fiunt atq; sedantur: &
 quitate sedi- omnino vna quædã est omnium occasio ma-
 tiones exci- e lorum, & accipere suffragium à iudicibus, to-
 tari. tius nequitia est principium & terminus. Est
 Huic simile e quoq; hoc sacrorum eloquiorum mirabile &
 est, quod di- e verum, quòd AVARITIA OMNIUM SIT
 citur in glo. e MATER MALORVM, maximè quando
 sup. ver. ori- e non priuatorum, sed iudicum inhaeret anima-
 untur. in c. e bus. Quis enim sine periculo non furetur, quis
 nã concupi- e non latrocinabitur sine reatu administratorè
 scentiam. ex- e respiciens? Illum namque videns omnia au-
 tra de cõstit. e ro vendentem, & præsumens, quia quicquid
 & glo. in p- e egerit illicitum, hoc pecunias dando redimet:
 cem. decret. e hinc homicidium & adulterium, & inuasio-
 sup. ver. cu- e nes, & vulnera, & raptus virginum, & com-
 piditas. Et e merciorum confusio, & contemptus legum
 enim auari- e & iudicum, omnibus hæc venalia proposita
 tia Idolorũ e esse putantibus, tanquam aliquod optimorũ
 feruitus, vt e mancipiorum. Sed neq; sufficimus considera-
 in c. auaritię. e re, & exponere, quanta ex furto prouincialium
 extra. de pb. e iudicum fiunt pessima: nullo eos præsumen-
 & dignit. e te cum fiducia redarguere, cum illi repente se
 emisse cingula pronuncient. *Item §. eos autem
 qui. Iustinianus pergit his dictis.* Eos autem, qui
 sine mercede sumunt administrationes præ
 omnibus studium habere decet fiscalia vigi-
 lãter inspicere: & in deuotos quidem & egen-
 tes necessitate, cum omni exigere fortitudine,
 in nullo flexos, neq; pro hoc ipso lucrum ali-
 quod omnino considerantes: deuotis autem
 paterne se exhibere, deindè nostros subiectos
 reseruare

Intellige hęc,
 egentes neces-
 sitate, eos qui
 indigent, vt
 eis necessitas
 imponatur, si-

reseruare vndiq; sine violentia, nihil ab vllor
 eorum percipientes: sed æqui sint in iudicijs,
 æqui verò in publicis disciplinis, exequentes
 quoq; delicta, innoxios quidem vndiq; custo-
 dientes eos, qui puri sunt: reis autem pœnam
 imponentes secundùm legem, & ita præfiden-
 tes collatoribus, tâquàm Patres filijs, diligen-
 tes quidem eos, qui sunt innocentes, qui verò
 rei monstrantur, castigantes ac punientes, om-
 nemq; iustitiam in publicis & priuatis docu-
 mentis eis seruantes: & non ipsi soli hoc agen-
 tes, sed etiam semper consiliarium talem su-
 mentes, & qui circa eos sunt omnes: vt non vi-
 deantur illi quidē, velut innoxij esse, per ipsos
 autem delinquant, atque furentur, hoc quod
 magis turpe est, vt & participes iniustitiarum
 sumant, *et paulò pòst.* Quis enim non diligit
 eum, & honestate compleri magna putet, si
 nostro decreto ad cingulum veniat, testimo-
 nium quidem habens, quia sit optimus, gratis
 verò eum suscipiens: non vacans omninò per
 prouincias populi priuati, nec quemadmodū
 quod dedit congreget, nec vndē colligat au-
 rum: sed vt hoc solum habeat studiū, Deo no-
 bisq; semetipsum commendare, & gloria frui
 optima, & recompensationem sperare præci-
 puā. *Et in 6.* Illud videlicet. vers. sciant. Sciant
 omnes subiecti, quia propter eorū vtilitatem,
 & vndiq; eorum indemnitate, vt per om-
 nem agantur quietem, & non cogantur pro-
 uincias relinquere, & in peregrinis affigi: pro-
 pterea

E 4

pterea

quidē in con-
 tribuendo a-
 ded sunt defi-
 des, vel diffi-
 ciles.
 Iudicum offi-
 cium.

Judices debēt
esse Patres nō
fures.

pretea presentem legem scripsimus, Deo eam
vouentes &c. ut omnibus liceat patres susci-
pere magis iudices, quam fures, & eorum sub-
stantijs insidiantes. *Et in seq. §.* Itaque Deo &
Saluatori nostro Iesu Christo omnes similiter
offerant hymnos, pro hac lege, quæ eis dabit &
patrias habitare cautè, & proprias facultates
habere firmissimas, & iudicium frui iustitia.
Nam & nos propterea eam posuimus, ut & iu-
sticiam quæ in lege est, valeamus Domino Deo
vouere, & nosmetipsos & nostrum cōmenda-
re imperium, & non videamus despiciere ho-
mines oppressos, quos nobis tradidit Deus ut
eis per omnia parcamus, eius sequentes beni-
gnitatem.

*Plura in hoc authentico eleganter comprehendun-
tur, qua diligentia Princeps subditos suo per fideles
prefectos atque iudices regere debeat, & qua pœna
in auaros infidelesque animaduertere debeat, quæ
omnia studiosus lector per totum illud Authenti-
cum videre poterit. Et autem in eiusmodi officia-
libus vel asciscendis vel remouendis magna adhi-
benda prudentia, ne malis priores substituuntur,
quod egregiè perspexit Tiberius Cæsar, qui statim
post Augustum Romanis imperauit, is enim, ut
Nicephorus refert, cum ab amicis interrogaretur,
cur non tam faciliè magistratus & prefecturas suas
mutaret? Respondit se hoc data opera semper fecis-
se. Natura enim omnes, qui rerum administrationi
præsint, pecuniæ esse cupidos, plurimumque studij ad
rem magis, magisque augendam eos collocare. Cete-
rùm*

Tiberij Cæsa-
ris de asciscen-
dis iudicibus
vel delegandis
magistratibus
iudicium.

rūm si diutius in Magistratu versentur, segriores ad quaestum faciendum fieri: muscas enim si longius corporum ulceribus insideant, minus graues & molestas fieri, quippè sanie ulcerum ad sacietatem usq; refertas, & eum qui ulceribus scateat, durius acceptum afflictumq; iri, si saturis iam repulsis, famelicis alias ad vulnera admittere velit. Hac Niceph. Callistus Ecclesiasticae suae historiae lib. 1. cap. 17.

Recentiores Praefecti famelicis muscis comparantur.

IVSTINIAN. IMP. IN AVTH. DE
prouinc. praesid. §. nos aut. collat. 10.

Sancimus, ut illi Magistratum gerant, qui & bona existimatione noti sunt, & in exercenda iustitia plurimum reposuerunt sollicitudinis: sed &, ut citra vllum munus & largitionem magistratus suscipiant. Item ut tam collatores incolumes indemnesq; cōseruent, quàm publica tributa diligenter expediant. Praeterea, ut neq; per se neq; assessores suos, ut cācellarios, domesticosue, aut quempiam eorum qui ad ipsos pertineant, quicquam à subditis accipiant, nisi in quadruplum velint (ut leges loquuntur) quod ab ipsis acceptum est, dependere, sed contenti his sint, quæ lege ipsis deputata sunt è publico.

Magistratū
quales gerere debeāt.

IVSTINIAN. IMP. IN AVTH. DE MO-
derat. Helenoponti. in prin. coll. 10.

Non in verborum multitudine, sed vero & iusto rerum effectu robur imperij collocandum est.

Imperium in quo consistat.

E 5

IDEM

IDEM IVST. IN AVTH. DE NON ELI-
gen. sec. nub. mul. §. illud quoq. coll. 1.

Princeps ut
fit æquus &
iustus.

PRinceps æqualitatis & iustitiæ autor esse
debet.

IVSTINIAN. IMP. IN AVTH. DE LE-
non. circ. fin. coll. 3.

PRinceps dona Dei, quæ circa rempublicam
accepit conseruare debet ab omni neces-
sitate flagitiorum.

IDEM IMP. IN AVTH. CONSTIT. QVÆ
dignit. & c. in fi. §. illud quoq. coll. 6.

A Deo & im-
perio omne
bonum.

OMne bonum siue à Deo acquiritur homi-
nibus, siue ab imperio sequente Deum.

FRIDERICVS L. LIB. I. FEVDOR.
tit. De pace tenenda & eius violato-
rib. In princ.

Quoniam diuina præordinante clementia
solum regiæ maiestatis conscendimus,
dignum est, vt cuius præcellimus munere, illi
omniò pareamus in opere. Inde est quod
nos tam diuinas quàm humanas leges in suo
vigore manere cupientes & Ecclesias, siue Ec-
clesiasticas personas sublimare, & ab incurfu
& inuafione quorumlibet defensare intēden-
tes, quibuscunq. personis ius suum conser-
uare volumus.

LOTHARIVS III. EOD. LIB. TIT.
De prohibita feudi alienatione.
In princ.

Imperialis beneuolentiæ proprium esse iu-
dicamus, commoda subiectorum inuesti-
gare, & eorum calamitatibus diligenti cura
mederi:

mederi: similiter reip. bonum statum ac dignitatem imperij omnibus priuatis commodis praeponere.

RELIGIONEM CATH. PRINCIPI ROMANO CORDI CVRÆQVE ESSE DEBERE.

IOAN. PAPA II. IN EPIST. AD IV.
stinianum Imp. incip. Inter claras. C. de sum.
trin. & fid. Cathol. &c.

Christianissimum Principē decet puriore luce, tanquam aliquod sydus irradiatū, amore fidei, charitatisq; studio edoctum, Ecclesiasticis disciplinis Romanæ sedis reuerentiam conseruare, &c.

Imperator secundem Apostolicam conseruare debet.

THEODOS. ET. VALENT. IMPP. AA.
in l. vn. C. nem. licere sign. saluat. hum. &c.

Prinicipi cura diligens esse debet, per omnia superni numinis religionem tueri.

Imperator defensor religionis.

IUSTINIAN. IMP. IN AVTH. DE
monach. & Ascetr. &c. §. fin.

Nihil diuinarum rerum, & quæ custodiri iustum est à principe negligatur: sed per omnia studeat, vt communis reipublicæ status ex magni Dei & seruatoris nostri Iesu Christi erga homines amore, fructum afferat.

Princeps reipublicæ custos & promotor.

THEODOS. ET VALENTIN. AA.
in suis Nouell. tit. 2. in prin.

Inter